



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

XLVII. Conradvs III. Elector. XXXI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

dixerunt Joannem Moguntæ Electorem, inter communia mala zolis passim obviis sententiam malignam dicentibus. In verticem Friderici vocatus Jodocus Moravia Marchio, multorum annorum senex, & hoc brevi mortuo Rupertus inter Palatinos Electores Ruperti II. filius, post annos Imperii 10. bellum movit Joanni Electori, cui soli maximè mors profuit, dum Cæsarem Imperii columnam stravit. Inde omnium Electorum suffragiis electus Imperator Sigismundus in Germaniam venit, cujus præsidio fretus Elector Moguntinus Hermannum Hassiæ Landgravium oppugnavit. Concilio post breve tempus Constantiæ indicto, cum Joannis XXI. diei XXIII. Pontificis partes Joannes Elector sibi propugnandas existimaret, ex datis à Concilio epistolis intellexit, satius esse communi Patrum sententiæ acquiescere, turbas in Germania tollere, & hæresi Hussianæ pro viribus occurrere, quæ omnia strenuè peregit, usquedum egit animam an. 1419. Sedis 22. sub Pontificibus Bonifacio IX. Innocentio VII, Gregorio XII. Alexandro V. Joanne XXI. & Martino V.

SE C U L U M XV.

XLVII. CONRADVS III. ELECTOR. XXXI.

Conradus III. Comes Rhenanus vestigiis Joannis mortui insistens, continuò dedit literas ad Episcopos & Abbates sibi subditos, ut seriò incumberent ad emendandos Clericorum juxtaque Monachorum mores. Operam ea ex parte strenuam navavit Conrado Cardinalis Placentinus à Martino V. Pontifice Germaniæ magnam partem lustrare & emendare jussus. Annis dein decem continuis ferè pugnante adversus seditiosos Bohemos Rege & Imperatore Sigismundo, vicariam Imperio adhibuit manum, multorum Principum ob id expositus odiis, tanta munera, magna onera esse nescientibus. Cæterum Archipræsulem

lem hunc præstantissimum fuisse corpore, hujus tamen illecebris nempe conviviis aliquantò indulgentiùs, quàm par erat, obsecutum esse, ferunt. Annos Elector numeravit 15. sub Martino V. & Eugenio IV. an. 1434., extinctus.

XLVIII. THEODORICVS, ELECTOR XXXII.

Theodoricus ex nobilissimo Erbachensium sanguine ortus, publicos tumultus inter statum Ecclesiasticum & civilem Moguntiaë enatos, non nisi Concilii Basileensis auctoritate sedare valuit. Bellum hoc domesticum excepit alterum externum, adversùs Ludovicum Electorem Palatinum comuni multorum suffragio susceptum, ubi auxiliares copias Theodorico miserunt Marchiones Badensis & Brandenburgicus. Data tandem & impetrata pace Synodum indixit Cleri mores emendaturus, cui opem suâ præsentia tulit Cardinalis Legatus Pontificius. Ut verò universis ipse exemplo præluceret, aulam suam virtutibus exornare non cessavit, quam passim paradisum dixerunt propinquierum arbitri. An. 1459. Sedis 25. mortem oppetiit Aschaffenburgi, quod ædificiis exornavit. Pontifices eo tempore fuerunt Eugenius IV. Nicolaus V. Calixtus III.

XLIX. THEODORICVS ELECTOR XXXIII.

ET

L. ADOLPHVS II, ELECTOR XXXIV.

Theodoricus Comes Isenburgicus, aliis Budingensis dictus, licet à Canonicis ritè electus, à Pio II. tamen Pontifice haud confirmatus, quin an. 1461. ob causas graves à Sede Moguntina remotus, omnem movit lapidem, ut invitâ etiam Curia Romanâ Elector deinceps honoraretur: unde Adolphus Comes Nassovius Wisbadensis in Sedem Theodorici vocatus, non
nisi